



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Gloriæ vanæ & animi distractionibus quomodo resistendum: passiones naturales vt̄ differenter vel sentiantur, vel non sentiantur: exercitijs internæ vitæ quatenus insistendum; quæq[ue] internæ vitæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

bonitate
quid sit.
Quo pacto
facile meri-
tis quis di-
ues fiat.

Iniuriam ab
alio passus
quid faciat.

Cur bonis
mali adiu-
ci sint.

Mali vt non
faciant nos
malos sed
ostendant.

landas, qui nil tibi accidere permittit, nisi quod ad tuam spectet salutem vtilitatemq;. Quicquid ergo tibi acciderit, siue triste siue dulce sit illud, dic tibi ipse. Hæc misit mihi Deus, vt inde aliquid proficiam, aliquid lucrer. O si ita faceres, ex omnibus quærendo, quomodo ad lucrum animæ tuæ, (veluti auarus mercator) aliquid colligas, cito fieres diues, & non displicebit aut minus displicebit, si quispiam iniuriam fecerit, cum tu meritorum tuorum & profectus augmentum inde sentias: nec illi indignaberis iniurianti, quia intelligis Deo ordinante ita tibi missum, ac si Deus tibi diceret: Ioannes hæc sustine propter me. Sed reclamatione adhuc immortificata superbia, Vellem pati à Deo, sed quid illi fratri incumbit vexare me? Non respicias aut penſes quis tibi intulit, sed cogita quia ad tuam vtilitatem tibi iniuriam aut contemptum intulit, & illi potius gratias age, qui dat tibi merendi occasionem, & fabricat coronam. Cogita quibus Deus illum iusserit aut non prohibuerit, vt aliquid triste tu patereris, & propter tuam patientiam te coronaret: ipsum verò etiam si male fecit à peccato liberabit, & per humilitatem pœnitentiæ saluabit, ac proficere faciet: quia ad tuam vtilitatem dispensatiue ipsum excedere permittit.

Et hæc est ratio, quare Deus bonis semper malos aut defectuosos coniungit, & tamen quandoque vtrosque saluat: illos per bonam vitam & patientiam, hos per pœnitentiam. Necessarij sunt mali & defectuosi bonis, tanquàm instrumentum profectus nostri ad exercitium à Deo nobis ordinati. Cur ergo indignaberis instrumento, quo bonus efficeris? Forſan dices: Ego bonus non efficiar, sed malus: Certe mali facere non possunt te malum, sed probate & ostendere, quia malus es, qui mala, hoc est, aduersa ferre recusas.

Vndecunque igitur tibi contraria adueniant, cura tantum, vt ad peccata non declines, & cogita quia nisi Deus permitteret, nil tibi euenisset. Non potest autem malum esse, id est, ad malum finem, quod Deus permittit. Et tu quis es, qui putas resistendum ordinationi diuinæ? Si nullum tu fructum intelligis prouenire ex patientia tua, quamuis hic vnus sufficientissimus est, vt voluntati ac Dei ordinationi non repugnes, sed subiectus obedias, nihilominus, te etiam nesciente, Deus ad mille fructus animæ tuæ patientiam tuam ordinabit, & quæ ante putabantur impedimenta profectus, inuenies sapientissimam Dei prouidentiam ita ordinata, vt fiant vtilissima ad bonum tuum inducentia. Sed his paucis fili charissime bene vale, & constans esto,

Gloria vana, animi distractionibus quomodo resistendum: passiones naturales vt differenter vel sentiantur vel non sentiantur: exercitijs interna vita quatenus insistendum: quæq; interna vita studioso sint cauenda.

Epistola XVIII.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS CARTHVS.
Filio suo N. secundum spiritum charissimo S.

Prima tua quærimonia est fili mi, quod importunitate multarum cogitationum vndecunque ingruentium & distrahentium prægranaris.

Dein-

Deinde etiam vana gloria te pulsari penè ad omnia sentis. Si prudenter quīs aduertere vellet, secunda tentatio curari posset per primā. Intelligēs enim se vanis cogitationibus occupatum, alienum & distractum à Deo, gloriæ cupidum & superbum, quid aut vnde gloriari potest? Cum enim Deo nihil placeat, quod superbia est infectum, qualis confusio est, velle se in iudicio hominum esse magnum, quando in oculis Dei scæter? ludicare igitur se superbum, & propterea se contemnere, remedium vanæ gloriæ est, ipsaq; vana gloria tunc fit instrumentum interimendi seipsam. Lege Bernardum de pugna David contra Goliath. Est aliud remedium leuius pro exercitatis præsertim & Deum timentibus: scilicet vt pactum seu propositum firmum cum Deo faciant, nihil velle propter gloriam humanam vel laudem facere, sed propter Dei honorem, vel propter suam & proximorum salutem ac consolationem cuncta facere. Si postmodum (vt assolet) vanitas se interponit, contemnendo debes eam exhibere, id est, non curare: sed mox vbi primam cogitationem sentitur, sine disputatione aut examinatione quasi indignam auditu abijcere, nec propter illam bonum opus ceptum intermittere, exemplo B. Bernardi qui in huiusmodi casu respondit vanæ gloriæ: propter te non incepti, propter te non dimittam. De distractionibus vitandis, aut potius minuendis forsitan alio tempore diutius tecum loquar, aut scribam. Interim quando stas in diuino officio, & vbicunq; fueris cogita te esse in præsentia & intuitu diuinæ maiestatis: & hæc contemplatio incutiat tibi reuerentiam, dicendo tibi ipsi: Deus videt, scilicet, quomodo stas? quid cogitas? quomodo alienas te à Deo: Initio igitur studeas vocali attentioni summa diligentia, vt scias quid legas & soluas & omnia debita tua distinctè, perfectè, strenuè ac fideliter tempore debito persoluas. Hac assuefactione facta, poteris ad aliam attentionem, scilicet sensuum, verborum & eliciendorum affectuum confurgendo in Deum, te exercere, ad quæ multum valet & necessarium est, discere meditari, mentaliter orare, & coram Deo se effundere per aspirationes breues.

Dubitas, vtrum tibi conueniat magis ad spiritualem, internam atque abstractam vitam te applicare, an manere vt dici solet, bonus rundarius, latus ac socialis cum fratribus &c. quia, vt dicis, sentis meliorem pacem aut charitatem ad fratres, conuersando cum eisdem in exterioribus, confabulando, adiocando & cætera: Dando vero te ad interiora & sectando spiritualia, sentis amaritudines iræ cæterarumque passionum frequentes motus. Ego huic quæstioni sic respondendum putarem. Quantum vires capitis tui sustinent, & quantum discretio admittit, omnino deste ad spiritualem vitam & internam. Nec terrearis, si magis eo tempore impatientiæ motus huiusmodi ve aliquid videaris sentire: quia interna conuersatio aut vita spiritualis, non generat nec causat hæc vitia, nisi forsitan ex accidenti, pura vt admiscente se superbia, quæ occasionaliter oriatur ex spirituali profectu, gignantur alia quoque vitia ex eadem superbia. Nunquam enim sola est (vbicunq; est) superbia, sed alia habet secum vitia multa. Spirituales igitur & interna vita, ex se non habet vitia, sed potius eadem vitia commonstrat, mortificat, ligat & frangat. Quod autem in exterioribus occupatus aut effusus, non sentis passionem, non idè est, quod tunc non habeas, vel quod omnia vitia sint

Gloriæ vanæ
quod sit re-
medium.

Remedium
contra ani-
mi distracti-
onēs.

Cur non sit
deserenda
vita interna
studium ob-
insurgentes
tentationes
Superbia
nunquam
est sola.
Cur externis
dediri non
sentiant pas-
siones suas
sint

sunt mortificata vitia: imo magis tunc habes, sed non sentis, utpote circa externa & crassiora occupatus, & quasi in nebula ambulans, quæ intus aguntur non aduertis. Putas enim non esse ea, quæ tibi abscondita sunt. Erumpunt autem habita occasione, & multo periculosius, ac cum maiori excessu vsque in peccata & exteriora delicta. Hoc vides in huiusmodi hominibus externis, quomodo vsque ad contumelias excedant, qui aliàs non habita occasione mites valde putabantur. Manifestum tunc fit, vitia hæc in eis, propterea quod non sentiebantur absente occasione, non fuisse mortificata, sed latuisse tantum, ut grauius aliquando prorumperent. Contra verò quæ circa spiritum sunt vigiles, continuum quidem bellum gerunt contra vitia, & crebriores impulsus sentiunt, rarius tamen & minus delinquant: quia sui semper curam habentes quanto certius se passionatos experiuntur, tanto diligentius sentiant delinquant, muniunt. Sæpe autem sentiendo, & sæpe reprimendo vitia, tandem fiet, ut minus, aut omnino non sentiant, aut leuissima auersione & sine labore huiusmodi motibus imperent.

Vt vitiorum impugnationes elidantur.

Sentire vitia non est malum.

Sicut enim sæpe consentiendo vitium habituatur, ita sæpe dissentiendo, debilitatur: quanto autem receditur à vitio, tanto ad virtutem appropinquatur. Non est ergo malum signum, vitia aut passionem sentire, modo non consenseris: quoniam etiam in homine imperfecto signum est alicuius profectus sentire & detestari, & magis expedit eadem sentire impugnare, quàm non sentire, & tamen habere. Quod nisi foret, seculares multi magnique peccatores essent meliores viris deuotis, & Deum valde timentibus: quia isti magnis peccatis obruti, quid vitium, quid passio, quid mali affectus, quid motus illiciti sint, omnino nesciunt: hi verò à peccatis liberati, & oculis spiritualibus interiorem hominem contemplantes, maxime & sciunt & sentiunt.

Sanctorum facta nec omnia, nec omnibus imitanda.

Inuenimus autem ex lectione sacra nonnullos patres occasionem quæ fuisse, & iuisse (licet non omnibus id expediat imitari, præcipue incipientibus, & nondum in sancto proposito firmis) ubi excitarètur eis passionem, ut haberet occasionem pugnandi, comprimendi, mortificandi & extirpandi: quæ scilicet mortificatio & extirpatione non fit nisi sæpe contradicendo, comprimendo, negando, aut contrarium vitij agendo. Vnde legitur de quibusdam, qui sponte se ingesserunt ubi audirent confusiva, despectiua aut iniuriosa verba &c. ut sic superbiam, si qua surgeret, retunderent, sæpe retundendo extinguerent, sæpe extinguendo efficerent, ut aut omnino periret, aut leuissime ac debiliter sentiretur. Sicq; in breui tempore de vno vitio pacem sibi facerent, deinde aliud impugnarent. Vbi bene intelligis, melius fuisse crebro sensisse motus vitiorum, & per crebras abnegationes mortificationesq; funditus vincere, quam rarius sentire, & vsque in finem vitæ nunquam ea vincere aut extirpare. Vides etiam propter effusionem sui ad socialem conuersationem, & ad exteriora affabilitatis & leuitatis exercitia non sentire motus insurgentes passionum, non est vitia vincere, nec vitij carere, sed abscondere, & ad tempus illorū excessum in peccata continendo, in alios defectus se precipitare, donec occasio fuerit sic latentibus vitij, ut non solum insurgant, sed etiam miserabiliter vincant. Consulo igitur ad internam & spiritualem vitam, studeas à leuitatibus multiloquijs, iocis, ab hominum familiaritate temperare, constantem infatigabiliter continuum contra vitia exercere, donec debilitentur

Motus vitiorum sensisse, quam non sentisse ut magis proficiat.

Vix interne studio que cauenda.

aut

aut vincantur: quia tam ipsa pugna, quã deuotio sensibilis ac Dei amor (quæ exercetur per spiritualia exercitia) multum faciunt ad debilitationem vitiorum & exercitationem virtutum. Amando enim Deum amantur virtutes, & quicquid Deo est placitum: vitia etiam & peccata inde magis fiunt detestabilia. Sed nunc bene vale.

Pauera quantopere in omnibus sit querenda, amicitia humana non magnificianda: quo pacto item Deo confidendum sit.

Epistola XIX.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.
Filio suo N. charissimo salutem.

Consulo tibi fili, vt in omnibus Deum syncerum quæras, eius voluntatem omni alteri affectui præferendo. Ita fiet vt nihil contristet te, nihil fiat contra voluntatem tuam, quæ semper nititur se regulare secundum Deum, & omnia de eius manu accipere.

Vt in omnibus liceat pace perfrui.

Qui in cunctis optat voluntatem Dei, huius nunquam Deus contraria agit voluntati.

Non debes sollicitudinem habere circa futura, vt propterea declines à sinceritate: nec quæras habere amicos, aut assistentes vel adiutores, etiam in bono, sed quære in primis Deum. Et si eius voluntati cõgruit vt ad hoc ad quod cupis, amicos habeas homines, bene fiet. Si verò non placet illi, aut si non est desiderium ac conatus tuus ex Deo frustra disponis ad hoc amicos, & vana est sollicitudo tua, & (si non sincerè procedis) impia. Non debes velle, quanto minus procurare hoc, quod Deus auersatur. Quod autem Deus voluerit, non potes melius impetrare, quam Deum quærendo, ei vacando, prouidentia eius confidendo & committendo, & nihilominus operam tuam cum sincera intentione & adione eidem rei applicando. Verbi gratia: Nonnulli vt promoueant nouiciandum, (quæ res bona in se est) multa agunt non sincerè factis, & interdum certant, rixantur, amaricantur &c. veluti non confiderent Deo, qui melius sine vitijs & impuritatibus huiusmodi disponderet, si sibi committeretur, & nihil (nisi quod cum eius amicitia fieri posset) fieret. Quod si displicet Deo, vt talis promotio fortiatum effectum, male agitur, voluntati Dei renitendo. Si autem placet Deo, propter eius voluntatem promouendã, non oportet per media illicita & offensiuã ambulare. Ita est in similibus. Qui haret semper Deo, & purè quærit Deum, & confidit ei, huius studia semper diriguntur ad opratum finem absque grandi cura.

Amicitia humana non esse ambiendam.

Vt Deus dirigat conatus omnes, ipsi confidendum.

Quidam ita certant pro nouiciandis recipiendis, aut similibus bonis studijs, atque contendunt, vt omnino iuste putent se zelari pro Deo, cum tamen pro sua voluntate zelentur. Hoc liquet inde. Si eandem personam alius promouere moliretur, aut si crederent promouendum non sibi familiarem futurum, aut alterius discipulum fieri, & similia, non ita zelarentur: fit etiam vt contradicentibus aliquibus eo vehementius insistant, ne voluntas propria, sed aduersantium potius succumbat. Ergo non propter Deum laborant, sed pro seipsis. Tu hæc & id genus vitia caue fili, & vale.